

Κέρας Ἀμαλθείας, quod copiae cornu, ut uel lactis gallinacei sperare possis in uolumine haustum; iam Ἴα, Μοῦσαι, Πανδέκται, Ἐγχειρίδια, Λειμών, Πίναξ, Σχεδίων : inscriptiones, propter quas uadimonium deseri possit; at cum intraueris, di deaeque, quam nihil in medio inuenies! Nostri grossiores Antiquitatum, Exemplorum Artiumque, facetissimi Lucubrationum, puto quia *Bibaculus* erat et uocabatur. Paulo minus asserit Varro in satiris suis *Sesculix* et *Flextabula*. Apud Graecos desiit 25  
nugari Diodorus et Βιβλιοθήκης historiam suam inscripsit. Apion quidem grammaticus, hic quem Tiberius Caesar cymbalum mundi uocabat, cum *propriae* famae tympanum potius uideri posset, immortalitate donari a se scripsit ad quos aliqua componebat.

Me non paenitet nullum festiuorem excogitasse titulum et, ne in totum uidear Graecos insectari, ex illis mox uelim intellegi ping<endi fingend>ique conditoribus, quos in libellis his inuenies absoluta opera et illa quoque, quae mirando